



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Qvæ Ad Pietatem Inprimis Svnt Necessaria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

S Y L V V L A

D I V E R S O R V M

C A R M I N V M,

E O D E M A V T H O R E .

Q V Æ A D P I E T A T E M I N P R I M I S

S V N T N E C E S S A R I A .



Æc tibi semper erūt studio seruāda fide-
 Sincerae titulum si pietatis amas. (li,
 In primis animi mot^o cōpescce superbos,
 Moribus & fastus omnis abesto tuis.

Nam Deus elatis obsistit mentibus, idem

Gratia, & auxilio corda modesta iuuat.

Læsus ab iniusta si fortè videbere caussa,

Ne tua lædendi postulet ira vices.

Nam Deus ad sese vindictæ iura recepit,

Et vetat ultorem quemlibet esse sui.

Ocia materiam viciis, caussasque ministrant,

Et multis grandi sæpe fuere malo.

Intendas igitur studiis, sanctoque labori,

Inueniatque caue pectus inane Sathan.

Nullius tibi sit melior fortuna dolori,

Esse bonus cuiuis, sit licet hostis, ames.

Ac bene de cunctis studio tenere merendi,

Quantum vel vires conditione sinent.

Turpe putes dictis alienam incessere famam,

Crimina quæ scieris iustius illa te ges.

Contentus propriis, alienis parcito rebus,

Sit procul iniustis crescere velle bonis.

D 5

Magna

Magna quies contemptus opum, contemptus honorū:

Hæc capiant animum ne patiare tuum.

Quod satis est, satis esse putes, nec plura cupido

Appetat, hunc votis tu tibi pone modum.

Insidiosa tua semper de mente voluptas

Exulet, ad mores non facit illa bonos.

Nec tibi permittas vetitis insistere curis,

Sensaque sub pectus non nisi sancta cadant.

Labimur in culpam faciles, nisi cura Parentis

Æterni reuocet, continuusque metus.

Quicquid ages igitur, dices, meditabere, noris

Præsentes oculos eius adesse tibi.

Et quod teste tuo doleas fecisse sodali,

Hoc caue committas aspiciente Deo.

Ostendas animi castos sermone recessus,

Et condita probo sit tua lingua sale.

Sæpe Dei fac mente memor benefacta reuoluas,

Sæpe Deo grates, quo decet ore, feras.

Sobrietatis amor vita seruatus in omni

Corpora castiget, luxuriamque premat.

Proderit & precibus, lacrymisque è corde profectis

Sapius æthereum sollicitare Patrem.

Parcaque lasciuæ opponi ieiunia carni,

Quæ nisi frenetur, bella timenda ciet.

Denique pauperibus tua sit porrecta iuuandis

Dextera, fortunæ pro ratione tuæ.

Hæc tibi semper erunt studio seruanda fideli,

Sinceræ titulum si pietatis ames.

SPIRITVI SANCTO.

Spiritus alme veni, nostrisque illabere rebus,

Muneribusque reple pectora fida tuis.

Argentos animos sancto succende calore,

Vtque Dei flagrent semper amore, iuua.